



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XXVI. De Jure visitationis & procurationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

nes. Tales omnino ubicunq, inventi fuerint, precipimus, ut Episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonicâ, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant &c.

VII. In his vero, quæ hætenus diximus, solis non absolvitur potestas, quam Episcopi habent in Clericos, sed alia & multo quidem exsuperantior sese exerit in jurisdictione, quæ illis concessa est, ut refrenetur licentia, & coërceantur temerarii conatus, in quos se effundit sæpè audacia clericorum. Verùm de hæc jurisdictione & judiciis Episcopalibus specialiter deinceps nobis agendum erit. Ideoque plura hîc addere superfluum erit & supervacuum, neque admodum necessarium.

## CAP. XXVI.

## De Jure visitationis &amp; procurationis.

I.

Inter Jura Episcopalia maximè eminet jus visitandi, per quod multa & magna utilitas & Ecclesia ipsa in optimo flore sustinetur. Nec enim ulla tam perfecta in virtutibus & omnibus numeris absoluta reperitur societas, siue politicam spectes, siue Ecclesiasticam, quæ non aliquâ identidem correctione, aut confirmatione saltem, si nihil adhuc vitii contraxerit, indigeat, ut in bonitate suâ magis magisque proficiat, cùm in bonitate semper gradus dentur perfectiores. Uti igitur Reges Persarum olim optimo consilio singulas universi sui imperii provincias obire solebant, easque illustrare & peragrare, ut cognitum haberent, numquid ope & subsidio Regio alicubi opus esset: Ita jure Canonico salubriter constitutum est, ut Episcopi certis temporibus per dioceses suas, visitationes instituunt, & per eas probè dispiciant, utrum pastores & reliquæ personæ divino cultui destinatæ officio suo fideliter fungantur, in puritate doctrinæ perstent, receptum ordinem & præscriptum in actibus Ecclesiasticis observent, & ædificationem Ecclesiarum atque juventutis scholasticæ, quantum in ipsis est, debite, quâ verbis quâ opere promoveant, atque, si negligentiores illi in aliquâ re deprehendantur, tempestivè & fraternè eos moneant, aut duriore aliquo pœnarum genere coërceant.

II. Ne tamen quis ambiguitate vocabuli decipiatur, notandum est, visitatores inter Latinos aliquando dictos fuisse illos, qui Ecclesiam viduatam, siue defuncto præfule, siue dum in reatu esset, regebant. In Ecclesiis Africanis intercessores dicebantur, aut interventores, Græci *μέτοχοι*. De quibus est canon 74. in cod. Can. Eccles. African. Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit cathedram cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eidem Episcopum pro-



provideat. Quod si neglexerit, anno exempto interventor alius tribuatur. Hi vero, utrum iidem cum chorepiscopis fuerint, uti velle videtur Petrus de Marca de concord. sacerdot. § imp. lib. 2. c. 13. n. 4. an verò ab illis diversi, uti sentit David Blondell. apol. de episc. § presb. sect. 3. pag. 130. anxie indagare nunc nihil attinet. De utrisque obscura sunt in canonibus vestigia, ut certi quid statuere vix liceat. Nec inficiamur tamen, visitatoribus illis idem officium lustrandi Ecclesias, de quo nunc agimus incubuisse. Id enim colligo ex Gregorij I. epistola 2. lib. 3. quam scripsit ad Maximianum Syracusanum Episcopum: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum qui cum ipsis per non suæ civitatis paræcias fatigantur, aliquod laboris sui capiant de disponente subsidium.* Illis non abfimiles fuerunt *ᾠειοδευταί*, quorum meminit Iustinianus l. 42. C. de episc. § cler. Unde & vocabulum istud in versione canonis Laodiceni antepenultimi Dionysius Exiguus reddidit per *visitatores*. Johannes Zonaras in commentar. ad d. can. Laod. *ᾠειοδευτας* dictos putat ab eo, quod nullibi propriam sedem cathedramque habentes, huc & illuc fidelibus in officio continendis vagentur, *ἄλλ' τὸ ᾠειερχεσθαι καὶ καταρτίζειν τὰς πύλας, μὴ ἔχοντες καθέδραν ἰκείαν.*

III. Visitatores illi & *ᾠειοδευταί* videntur primùm in partem sollicitudinis ab Episcopis adsciti fuisse, si vel ampla nimis esset diœcesis, vel Episcopus ipse propter valetudinem afflictam rebus suis superesse non potuerit. Nec dubito tamen sæpè in abusum vicariam istam operam degenerasse, vel superbo nimis existente Episcopo, vel negligente, & ignavo, aut *ἀπεργαστάρῳ*, ita ut vel despiciatui ab eo haberetur visitandi hoc munus, vel supra ejus captum & ingenium. Sanè ex avarâ quâdam pigritiâ intermissam quandoque ab Episcopis visitationem docet canon concilii Toletani, quem refert Gratianus c. *relata* 10. q. 1. his verbis: *Relata est coram sancta synodo querimonia plebium, quod sint quidam episcopi nolentes ad predicandum vel ad confirmandum suas per annum paræcias circumire: qui tamen exigant, ut mansiones, quibus in profectioe uti debuerant, aliquo precio redimant, qui parare debebant. Que duplex infamia, negligentia & avaritia, sanctæ synodo magno fuit horrore. Statuerunt itaque ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.*

IV. Regulariter autem Episcopus ipse visitandi id munus sustinere & expedire debet, cum hoc ad munus pascendi omnibus Episcopis inunctum pertineat. *Decrevimus*, verba sunt canonis in concilio Tarraconensi conditi, apud eund. Gratian. d. l. c. *mox* seq. ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annis vicibus diœceses ab Episcopo visitentur, & si qua forte Basilica fuerit reperta destituta, ordinatori ejus reparari præcipiatur. Et ex Concilio Toletano quarto Gratianus d. l. hunc addit canonem: *Episcopum per cunctas*  
diœ-



dioceses parœciasq; suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quo unaqueq; basilica in reparatione sui indigeat. Pertinet enim jus visitandi ad regimen Ecclesiasticum. Uti ergo regimen hoc principaliter Episcopo competit, ita & jus visitandi; præsertim cum in electione ejus industria personæ in considerationem venisse censeatur, quæ industria in actu visitandi quam maximè sese exserere debet. Prævit exemplo suo Apostolus Paulus, qui ipse Ecclesias visitavit & fide atque doctrinâ Christianâ confirmavi. Reversi, ita alloquitur Barnabam Act. XV, 36. *invisamus fratres nostros oppidatim, in quibus annuntiavimus sermonem Domini, cognitari quomodo se habeant.* Et porro v. 41. de eo dicitur: *Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmandis Ecclesiis.* De simili visitatione intelligendum est, quod scribit idem Paulus 1. Cor. XVI, 5. seq.

V. Sæpè tamen contingit, ut Episcopus ipse visitationis actum expedire nequeat, & tùm non prohibetur potestatem eam alteri mandare. Sic enim in dicto canone Toletano legitur porro: *Quod si ipse aut languore detentus aut aliis laboribus implicatus adimplere nequiverit; presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui reditibus basilicarum & reparationes & ministrantium vitam inquirant.* De laboribus quod dicitur, non puto alios intelligi debere, quam qui præstantiâ suâ superant negocium visitandi, cum hoc ipsum in se tam nobile tamque necessarium sit, ut nec omitti aut alteri committi commodè queat, nec per occupationes alias ignobiliores impediri debeat. Tùm verò etiam illi, qui in casu insigniorum laborum, aut infirmitatis & adversæ valetudinis substituuntur, idonei esse debent, & ad hoc munus fungendum probè affecti, sive ut in canone dicuntur, probabiles.

VI. Quanquam verò pudeat Canonistas, reperiri quandoque Episcopos nullâ cognitione rerum, nullâ scientiâ ornatos; quia tamen Ecclesiis haud raro tales præficiantur, coguntur illi, velint nolint, inter causas visitationis aliis committendæ etiam referre imperitiam Episcopi. Verecundè admodum ejus mentionem facit Innocentius III. c. 15. §. de offic. jud. ord. cum reliquas causas apertè magis & confidentiùs enumeret. Verba hæc sunt: *Cum sæpè contingat, quod Episcopi propter occupationes multiplices vel in valetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omnino, nec de cætero tolerandum) per seipos non sufficienti ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioceses & effusas, generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exsequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, (cum per se iidem nequiverint) sollicitè visitantes, eas verbo edificent & exemplo Sc.*

VII. Quod si sine legitimis causis Episcopus in visitationibus vicariâ aliorum operâ utatur, rectè censuit Senatus Parisiensis, procurationis præmium



mium aut stipendium nullatenus ei deberi, uti talia Arelta refert Antonius Fabritius Bleynian. *de benefic. tit. de aliq. al. portion. canon. n. 59.* Idque disertè olim statuit Innocentius III. *c. procurationes X. de censib.* procurationes absque manifesta & necessariâ causâ nullatenus exigi debere ab Episcopis, nisi quando personaliter officium visitationis impendunt. Rationem reddunt Antonius Bengueus & Franciscus Pinsfonius *de benefic. tit. de censib. §. 15. n. 14.* quod beneficium sive redditus & proventus cohæreat militiæ, quæ officium & ministerium denotat, quodque adeò redditus ille nulli debeat, nisi qui officium impleverit, secundum vulgatam juris Canonici regulam, beneficium dari propter officium. *c. fin. de rescript. in 6.* Graviter in istam Episcoporum desidiam invehitur Stephanus Baluzius *in not. ad Agobardi epist. ad Nibridium.*

VIII. Cæterùm quod diximus, Episcopis jus visitandi Ecclesias suas competere, id de omnibus Episcoporum gradibus intellectum volumus, & visitare adeò poterunt tum simplices Episcopi, tum Archiepiscopi, & Patriarchæ. *c. 3. de censib. in 6. c. sopita 14. X. eod.* Et de Archiepiscopis quidem id certum est, respondetque Pontifex Lucius III. *in d. c. sopita,* Archiepiscopum Ravennatensem ex monasteriis Bononiensis civitatis, quæ tum ipsi suffraganea erat, visitationis causâ procurationes sibi vindicantem jure communi & prædecessorum consuetudine juvari. Nec verò postulasset Ivo Episcopus Carnotensis *epist. 182.* ab Archiepiscopo Senonensium Daïmberto, ut suam visitare vellet Ecclesiam, nisi illi jus tale competiisset. De eodem Senonensi Archiepiscopo visitante provinciam suam & in eâ diœcesin Parisiensem, agit decretalis *c. 16. X. de prescript.* ut adeò liceat Archiepiscopo, quandocunque libet, jure proprio provinciam suam & singulas Episcoporum diœceses in eâ contentas visitare; quanquam sequioribus temporibus etiam Pontificiam auctoritatem adjungere placuit, ut eo amplior & plenior competeret potestas, aut etiam, ne in ipso visitationis actu & cœpto jam negotio impedimentum aliquod ex aulâ Romanâ poneretur. Utrâque hac auctoritate, propriâ scilicet & Pontificia, munitum legitimus Archiepiscopum Beneventarum *c. cum nuper 25. X. de censib.* Atque id quidem ex jure noviore & ex potestate Pontificum assumptâ. Archiepiscopis verò competit ista sua potestas, non tantùm, cum negligens fuerit Episcopus, uti putat Glossa ad *d. c. 25.* sed potest visitare Archiepiscopus etiam Episcopo non negligente, uti constitutum est. *c. fin. eod. in 6.*

IX. Ad meliorem Archiepiscopalis hujus potestatis explicationem operæ pretium erit ex Francisci Godwini Episcopi Landanensis *de Prasulibus Angliæ* commentario, quid Guilielmo Courtney Archiepiscopo Cantuariensi seculo decimo quarto provinciam suam visitanti contigerit, nonnulla huc facientia delibare. *Post hæc, inquit in descript. vit. ejusd.* Archi-

Eeeee

epi-



episcopus bullis papalibus affatim munitus ad universam provinciam suam visitandam se accingit. Cùm Rossensem, Cicestrensem, Wellensem & Wigornensem diœceses pergrassset, Exoniam venienti mos ipsi non geritar magis, quam olim Simoni Mepamo ibidem similia tentanti. Hujusmodi contumacia occasionem aliquam dedisse videtur ipse Cantuariensis. Nam postquam Episcopum aliosque prelatos à jurisdictione pro more inhibuisset, sessionum tempora de die in diem eousque prorogavit, ut diutius à jurisdictione suâ se arceri quererentur, quam canonibus Ecclesiasticis constitutum sit. Quapropter sub pœnâ excommunicationis diœcesanis suis Episcopus interminatur, ne visitanti Archiepiscopo jam amplius pareant, ac deinde appellatione interpositâ, ad Pontificem provocat. Ille nihilo secius in visitatione pergit, ac non obtemperantes universos excommunicat, interque ceteros Episcopum ipsum Thomam Brentinghamum Angliæ nuper Thesaurarium. -- Appellationem, quam in Romanâ Curia aliquandiu fuerat prosecutus, deseruit tandem Exoniensis Archiepiscopo sese suamque causam supplex commisit, quo cum ab illo satis clementer actum est. -- Interea verò dum hæc gererentur, Sarisburiensis Episcopus Johannes Waltamus ab Exoniensis exemplo gratiâ, quâ multum valebat apud Regem spiritus sibi sumens, Archiepiscopo visitaturo similiter resistit, hoc obtentu, quod Urbanus VI. tum nuper obierat, à quo diplomata is impetrarat. Archiepiscopus verò juris scientiâ Sarisburiensi non paulo peritior, satis intelligebat, visitationis jus Papali autoritate non initti, etsi diplomata autoritati Archiepiscopali adminiculi quippiam adjectura existimaret. In visitatione proinde perrexit non obstante appellatione Episcopi, quem censuris Ecclesiasticis ita exagitavit, ut appellationem deserere consultissimum putarii, Archiepiscopi clementiam experiri, qui, etsi egre, tandem tamen à Comite Sarisburiensi aliisque intercessoribus exoratus in gratiam hominem recepit. Ac ab eo jam inde tempore non est inventus suffraganeorum quisquam, qui de visitationis jure cum Archiepiscopo voluerit contendere. Eadem paulo prolixius refert Matthæus Parkerus de antiq. Britann. Eccles. in ejusd. Archiepiscopi vitâ.

X. Ex praxi hæc ista sequuntur porismata: 1. Archiepiscopis competere jus visitandi in comprovincialium Episcoporum diœcesibus ratione officii & sine concessione speciali à Pontifice Romano impetrandâ. 2. Diplomata Pontificia, si qua impetrata ab Archiepiscopis fuerint, accedere ut adminiculum aliquod. 3. Episcopos diœcesanos admittere debere, neque excludere posse Archiepiscopum visitaturum. 4. Episcoporum jurisdictionem interim, dum ab Archiepiscopo visitatio peragitur, suspensam esse. De hoc ultimo nullus nunc est locus disquirendi. Priora autem tria satis ostendunt, Archiepiscopis & metropolitanis potestatem visitandi jure proprio competere. Novum ergò est & ab instituto antiquioris Ecclesiæ diversum, quod superiore seculo in Concilio Tridentino sess. 24. c. 3. placuit, à metropolitanis etiam post plenè visitatam propriam diœcesim, non visi-



tari debere cathedrales Ecclesias, neque diœceses suorum comprovincia-  
 lium, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio provinciali. Quis vero, in-  
 quit Marcus Antonius de Dominis, *de Rep. Eccles. lib. 3. cap. 9. n. 16.* non vi-  
 det, *Episcopos suffraganeos nunquam consensuros, ut à suo visitentur Archiepi-  
 scopo, ideoque causam nunquam probaturos?*

XI. Patriarchalium visitationum rariora occurrent exempla, nec  
 alia, nisi quæ in particularibus quibusdam Ecclesiis aut provinciis factæ fu-  
 erunt. Quia enim diœceses Patriarchis subjectæ ex pluribus provinciis  
 constabant & latissimum ambitum continebant, difficile fuit, imò penè im-  
 possibile Patriarchæ, universam suam diœcesin periodicâ quâdam visita-  
 tione peragrare, & officio suo ubique defungi. Quin possit tamen ad  
 quamcunque sibi subjectam provinciam, aut singularem cujusque Episcopi  
 districtum pro lubitu excurrere, & ibi quæ emendanda fuerint, corrigere &  
 reformare, dubium mihi non est. In delectu legum compendiaro ab Leo-  
 ne & Constantino Augustis facto *sub tit. 3. num. 10.* de Patriarchis dicitur,  
 quod omnium metropoleon & Episcopatum, monasteriorumque & Eccle-  
 siarum cura & iudicium, ἐπι τῆς κληρονομίας, καὶ κατακλήσεως, καὶ ἀθώωσης,  
 & condemnatio & absolutio, ad proprium Patriarcham spectet. Ista au-  
 tem cura & iudicium in ipso illo loco, ubi Ecclesia injuriam patitur, insti-  
 tuti potest. Idque speciem habet visitationis, quam declinare nequit vel  
 metropolitanus vel Episcopus alius qualiscunque ei subjectus. Inter offi-  
 cia Ecclesiastica Georgius Codinus Curopalata *de off. Constantinop. cap. 1.*  
*sub num. 41.* refert *ex archum*, quem Jacobus Goarus *in not.* explicat de visi-  
 tatore, qui velut à latere Patriarchæ Legatus provincias ei subjectas obit,  
 ac visitationem peragit. Significatione planè alienâ à pristino usu, &  
 prorsus peregrinâ.

XII. Cæterum Episcopi omnes suo nomine & jure proprio visitatio-  
 nis munus expediunt. Quando autem Archidiaconis visitandi jus tribui-  
 tur, facillè intelligitur, competere id illis nomine alieno & ut vicario Epi-  
 scopi. Sic enim constitutum est, ut de tertio in tertium annum, si Episco-  
 pus non potest, parochiam universam circumeat, & cuncta quæ emenda-  
 tione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat & emendet. *c. 1. X. de offic.*  
*Archidiacon.* Quod si Archidiaconus propriam habeat parochiam, poterit  
 quidem eam, quandocunque libuerit, sed semel tantum in anno visitare,  
*c. 6. eod.* Nec tamen immunis propterea est ea parochia à visitatione Epi-  
 scopi. Quod si in aliquâ Ecclesiâ nullus fuerit Archidiaconus, poterit tum  
 munus visitandi presbytero aut diacono alicui committere Episcopus,  
*c. Episcopum 10. q. 1.* prout scilicet ipsi visum fuerit, cum totum hoc negocium  
 dexteritati Episcopi relictum sit. Et in summâ hoc sciendum, potestatem  
 visitandi ita competere Episcopo, ut cum omnibus aliis visitoribus con-



currat, & non obstante illorum visitatione ipse adhuc visitare queat. Ant. Bleynian. d. l. n. 55. adeo, ut etiam eo casu, quando in fundatione Ecclesiæ facultas visitandi Prælato inferiori est concessa, Episcopo non ob id censeatur adempta facultas, jure communi competens. Joh. Aloyf. Riccius decis. 1228.

XIII. Autoritas hæc & potestas Episcopi diffundit se per universam ejus dioccesin, adeoque in universa loca sacra divino cultui destinata. Neque res tantum, sed personæ etiam visitationi subjacent, & ex his vicissim non Ecclesiasticæ tantum, sed seculares etiam promiscuè quævis, ideò quod membra sunt Ecclesiæ. Dum enim per visitationes salus Ecclesiæ intenditur, non potest ea obtineri, nisi membra ejus, saltem quoad externam conversationem, salva sint. Debet igitur Episcopus ut bonus pastor oves suas lustrare, & de earum qualitatibus, morbis & vitiis inquirere, num qua sit, quæ in manifestis & miserandis errorum atque criminum fluctibus volutetur, quæ devium iter infistat, quæ reduci nolit, quæque cæteris exitio aut abominationi sit. Repertam talem corrigat, emendet, admoneat, refecet etiam & à grege separet, si de salute ejus desperet. Hoc enim est boni pastoris officium, hoc ejus munus & ministerium. Utrum autem & quatenus teneantur parochiani ad instantiam visitorum delicta & delinquentes manifestare, ad hanc *Διόκρισις* non pertinet. Prolixè eà de re agit Gregorius Saurus in *clav. reg. lib. 12. cap. 14. n. 22. seq.*

XIV. Quod res attinet, visitari debent loca qualiacunque cultui divino & religioni destinata, templa, sacella, cœmiteria, Hospitalia, vasa itidem sacra, vestes sacræ, & quicquid denique vel ad devotionem vel ad pium consortium institutum & deputatum fuit. Omnia ejusmodi loca sub ejus Episcopi potestate sunt, in cujus territorio sita sunt c. *omnes 16. q. 7. de Xenodochiis X. de religios. domib.* etsi alterius dioceseos locis sacris unita sint. c. 2. eod. Jurisdictio enim Ordinarii per totam dioccesin juris præsumptione extenditur. Andr. Gail. l. 2. *Obs. 62. n. 9.* Atque hinc etiam monasteria, quæ in illâ diocesi sunt, Episcopo subiecta intelliguntur. Idque ita dispositum legitur in Concilio Chalcedonensi *can. 4.* Placuit *nullumquidem usquam edificare nec constituere monasterium aut oratoriam domum præter consensum Episcopi civitatis. Eos verò monachos qui sunt in unâquâque civitate & regione, subiectos esse Episcopo. -- Civitatis autem Episcopum eam quam præest monasteriorum curam gerere oportet.* Refertur à Gratiano c. *quidam 18. q. 2.* & concordat textus in c. *17. X. de offic. jud. ordinariar. & c. sopite 14. X. de censib.*

XV. Disceptatur tamen inter Canonistas, utrum Episcopi omnimodam habeant in monachos potestatem, ita ut etiam de his quæ contra regulam monasticam acta sunt, cognoscere & judicare, an solum corrigere ea pos-



possint, in quibus citra monasticam disciplinam delictum aliquod commune perpetrarunt. Agendum scil. nobis est cum Canonistis κατ' ἀνθρώπων, cum aliis totam vitam monasticam, qualis nunc est, prorsus condemnent nostræ Ecclesiæ. Ansam disputationi dedit, quod in Concilio Toletano IV. can. 50. & Concilio Aurelianensi c. 21. constitutum legitur, id tantum ab Episcopis corrigi posse, quod extra regulam commissum fuit, ut ita vocabulum *extra* satis declaret, quousque animadversio & coercitio Episcopi se extendat. Uterque canon habetur apud Gratian. c. 1. § c. abbates 18. q. 2. Sed rectè observat Franciscus Bosquetus ad Innocent. III. lib. 1. epist. 7. febriculosam esse istam grammaticationem, cum præsto sint alia testimonia, quibus plena potestas Episcopo tribuitur. Sic enim generaliter constitutum fuit in Concilio Arelatensi apud eund. Gratianum d. l. c. 17. *Monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta.* Et sic etiam legitur in Legibus Longobardorum lib. 3. tit. 1. v. 8. *Volumus atque jubemus, ut Episcopi -- -- de monasteriis, quæ infra eorum parochiam sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundum canones, & Regulares secundum regulam vivant, & ubi aliter, quam ordo poposcit, invenerint, emendare faciant.* Quin tamen mutari hoc jus & lege novâ antiquari possit, dubium mihi non est. Et talibus constitutionibus innititur sententia Parlamenti Parisiensis, quæ refertur apud Joh. Paponium in *append. ad lib. 1. tit. 4. arrest. 3.*

XVI. Sed quid dicemus de monasteriis exemptis, an putabimus etiam in illis visitandi jus esse Episcopo? Ita statuunt Doctores, nisi exemptio ab ipsâ etiam visitatione specialiter facta fuerit, quandoquidem aliâs hæc non comprehendatur sub generali concessione exemptionum. Joh. Aloyf. Riccius *decif. 1228.* Speciali tamen huic exemptioni æquipollentem esse volunt istam, si pleno jure quoad temporalia & spiritualia, & quoad legem jurisdictionis & quoad legem diœcesanam, monasterium exemptum fuerit, tum enim in diœcesi quidem esse monasterium istud, sed non de diœcesi. Joh. Honorius van Axel. *ad tit. de privileg. & excess. privileg. n. 29. seq.* Ex quo sequitur, accuratè attendi debere privilegia, cum ea ideò, quod jure communi derogent, strictè explicari debeant. Neque extendi propterea debet privilegium exemptionis monasterio concessum ad parochias vel capellas monasterio isti subjectas. Andr. Vallens. *ad tit. de religios. domib. n. 4.* Quod si in possessione visitandi fuerit episcopus, quantumcunque abbas monasterii alleget se exemptum, & ad hoc ipsum offerat se probaturum, non cessabit tamen propterea Episcopus ab actu visitationis, nec cessare debet, sed poterit armis suam defendere possessionem. Innocent. *ad c. 4. X. de censib. n. 3. 4.* & vim inferre atque officia frangere, si intromittere eum nolint



nolint Regulares. Augustin. Barbofa *de offic. Episcopi part. 3. alleg. 74. n. 22.* Quod tamen ab antiquis Ecclesie institutis alienum videtur.

XVII. Fuerunt ab initio ejusmodi exemptiones monasteriorum introductæ, non tam, ut autoritas Episcopalis minueretur, quam ut ærarium monasticum augetur, & proinde privilegia, quæ dabantur, non derogabant potestati spirituali, quam obtinebant Episcopi in monasteria, sed circumscribebant tantum autoritatem seu Dominium temporale in res & bona eorundem, ne Episcopi pro lubitu redditus & facultates monasteriorum aliorum impenderent. Et istiusmodi immunitas atque privilegium solebat ut plurimum ab ipsismet locorum Episcopis impetrari, ne jura eis competentia ipsis in vitis interverterentur, neve adeo iniquiores eos deinceps haberent. In spiritualibus verò plerumque integra & salva manebat Episcopis potestas, quæ & disertis verbis quandoque exprimebatur. De monasterio S. Galli id testatur Ratpertus Monachus c. 8. apud Goldastum tom. 1. rer. Alamannicar. pag. 7. ubi privilegia quasi in compendio refert, ut deinceps nullam potestatem Episcopi in rebus ejusdem monasterii haberent, neque in censu, neque in ullâ aliâ causâ præter spiritalem tantummodo Episcopalis officii dignitatem, &c. Ita quoque Gregorius Magnus lib. 7. epist. 18. indicat. dum Monasterio Johannis & Stephani in Clasitana civitate immunitates tribuit, visitandi potestatem Episcopo Ravennatensi relinquit. Oportet, inquit, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur. Sed sic charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram quoque fraternitatem prædictus Abbas non solum non metuat ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat &c. In his terminis si substitisset exemptio, abstinere potuissent à querelis suis, quas contexunt, Bernhardus Abbas Clarævallis, Petrus Blesensis, Johannes Sarisberien. & alii. Vid. Franc. Juretus *ad Ivonis epist. 65. § 180.* Joh. Bapt. Souchet. *ad ejusd. Ivon. epist. 195.* Hieron. Bignon. *ad Marculphi form. pag. 420. seq.* Franc. Florens *in dissertat. Canon. p. 22. seq.* Nicol. le Maître *de bon. Eccles. part. 2. lib. 2. c. 1.*

XVIII. Exemptio talis non aliter competeat olim, neque competere potest, nisi ex privilegio. Præscriptio enim nullum hic locum invenit, sive quæstio instituatur de tali præscriptione, quæ visitationem omnino tollit, sive de tali, quæ etiam alius acquirit jus visitandi. Prior enim ideò excluditur, quia impedit morum correctionem, & promotionem salutis Ecclesiasticæ, & ita adversa est bono publico, quod per visitationem intenditur, tum & quia libertas ab obedientiâ superiori debitâ & imperio ejus haudquaquam per præscriptionem acquiri potest, cum non liceat à capite membra recedere, c. 12. X *de præscript.* Posterior autem ideò nullam concedere potest immunitatem, quia ut maxime alteri alicui extra dioccesin habi-



habitantis Præiato per præscriptionem jus visitandi alterius dioceseos Ecclesias acquiri potest, non tamen propterea Ecclesiis illis exemptio acquiritur à visitatione sive jure visitandi Episcopo diocesano competente, quandoquidem non obstante jure illo alteri quæsito Episcopus adhuc visitare potest, ita ut utrique id jus competat cumulativè. Ita intelligo textum inc. 16. X. de præscripti. Neque sentio ergo cum Augustino Barbosa, qui ad d. c. 16. non accumulationem tantum juris visitandi per præscriptionem fieri contendit, sed etiam translationem. Quo etiam inclinat Johannes Azorius *instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 40. q. 3.* qui tamen addit, jus hoc in Episcopo negligente non extingui prorsus, sed cessare tantum, ad hunc effectum, ut altero negligente recuperari quodocunque possit.

XIX. De modo visitandi, qualiter jus istud in exercitio habere se debeat, multa congerunt Canonistæ, quorum maxima pars ex supersticioso eorum cultu profluit. Nos antiqua magis sequimur, & in his concilium Bracarense, quod *can. 1.* anno Christi DCLXXII. breviter modum hunc præscripsit: *Placuit omnibus Episcopis, ut per singulas Ecclesias Episcopi & per dioceses ambulantes primum discutiant Clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum, vel qualiter quaque officia in Ecclesia peragant; & si rectè quidem invenerint, DEO gratias agant. Si autem minimè, docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi catechumeni concurrant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum, quod est, Credo in DEUM Patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Postquam ergo hæc suos Clericos discusserrint vel docuerint Episcopi, alià die (convocatâ plebe ipsius Ecclesie) doceant illos, ut errores fugiant idolorum, vel diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera: & qua nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, & ut credant resurrectionem omnium, & diem iudicii, in quo unusquisque secundum opera sua recepturus sit. Et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad aliam.* Recensetur à Gratiano c. placuit. 10. q. 1. De catechumenis quod dicitur, obiter noto, non aliter ad fontem sancti lavacri eos admissos fuisse, nisi fidei suæ aliquam rationem reddidissent, atque idcirco aliquot dies ante baptismum in doctrinâ fidei informatos fuisse, uti exemplum Victorini exeat apud Augustinum *lib. 8. confess. c. 2.*

XX. Dixi supra, & Doctores sive ministros Ecclesie, & auditores visitari debere. In illis doctrina maximè, in utrisque vitæ ratio & integritas attendenda est. Inquirendum ergo num illi purum DEI verbum secundum orthodoxiam proponant? num Sacramenta, ut instituta sunt, dispensent? num potestate clavium rectè utantur aut abutantur? num munus illud, ad quod vocati sunt, sedulo aut segniter obeant? num ægrotos & morituros invisant? num conscientias afflictorum instruant? an frequen-



quenter domo absint? an frequentent tabernas & levium hominum confortia? an misceant se negotiis secularibus ad se non pertinentibus? & ejusmodi alia. Circa auditores inquirendum, num inter illos fanaticus aliquis, aut hæresi infectus existat? Num manifestus quis inter eos extet adulter, homicida, contemptor verbi divini, blasphemus, aut alio crimine notatus? quâ ratione se habeant ad invicem parentes & liberi? item mariti & Uxores? num qua odia gliscant inter cives? qualiter instituatur nuptiæ? qualiter exequiæ? & plura alia, quæ ad bonum ordinem & disciplinam externam faciunt. Eadem est ratio inquirendi in scholis, tum quod præceptores, tum quod discipulos concernit, ut inter utrosque debita conservetur harmonia, neve illi sæviendo nimis imperio suo abutantur, hi præfractè resistendo disciplinam omnem pessimè excutiant. Circa ædificia id maxime dispiciendum est, ut reparetur, si quid collapsum fuerit, ut cœmeteria probe munita, & sive muris, sive vacerris, sive palis cinctâ custodiantur, utve quantum fieri potest, nitida, & ab omni colluvie pura sint omnia. Sed & in administrationem bonorum Ecclesiasticorum inquisitio instituenda, ne dissipentur ea à Curatoribus, neque in perversos & improbos usûs convertantur. Itemque in salaria ministrorum Ecclesiæ, ut sufficientia ea sint, & quoad fieri potest augeantur, cum plerumque satis tenuia ea existant, & in quamplurimis locis parum absit, quin ad mendicitatem protrahant suos alumnos. Totum procedendi modum ad rationes hodiernas satis accuratè descripsit Dn. Ahasverus Fritschius *de jure visitandi Ecclesiastico*.

XXI. In omnibus tamen his non aliæ sunt Episcopi visitatoris partes, nisi quas patitur ejus officium. Quod si igitur repertus fuerit flagitiosus aliquis & valdè atroci crimine notatus, nihil aliud tamen poterit Episcopus, nisi monendo, corripiendo, & excommunicando tandem, si incorrigibilis ille fuerit, officio suo defungi. Hucusque enim progredi potest Episcopus, cum ejus officium totum spirituale sit, cui proinde non aliæ quam spirituales pœnæ conveniunt. Nec tamen per spirituales hasce pœnas ab Episcopo inflictas derogatur pœnis secularibus à magistratu decernendis, quandoquidem unum idemque delictum, quatenus pacem publicam inter Christianos perturbat, & quatenus notabile animarum saluti damnum affert, in utroque foro puniri optimè potest, nec tamen propterea fora confunduntur, uti optimè notat Rogerus Widdrington *advers. Adolph Schuiken*. §. 13. Utrum autem teneatur Episcopus crimen, de quo ipse in visitationis actu certior factus fuit, magistratui civili denunciare, ad aliam disquisitionem huc non pertinentem spectat. Mihi id non videtur.

XXII. Non poterit autem visitatio salutarem habere effectum, nisi instet Episcopus & monita sua subinde repetat, suisque decretis per executionem pondus addat. Quocirca ne vel parochi ipsi vel parochiani Episcopo-



scoporum suorum pronunciata insuper habeant, utque multis aliis noviter exortis & quotidie repullulantibus vitiis atque defectibus opportunè præsentia sint remedia, constitutum est in Concilio Tarraconensi & Toletano, ut Episcopi dioceses parocchiasque suas quotannis visitent. Verba adduximus supra, ex *c. decrevimus Sc. seq. 10. q. 1.* Visitatio enim non debet esse ita rara, ut multiplicentur corruptelæ, nec ita frequens, ut propter impensas graventur parochiani. Et tempus proinde annum satis commodum creditum fuit, & inter duo extrema medium. Joh. Bapt. Vivian. *in rational. ad c. 6. X. de off. Archidiacon.* Fieri tamen potest, ut frequentiore visitatione opus sit, in Ecclesiâ præsertim noviter ad Christum conversâ aut multis vitiis inquinatâ, quo casu inspectione accuratiore opus est. Quò pertinet constitutio in *d. c. 6. X. de off. Archidiacon.* Quod si etiam consuetudine diversum quid introductum fuerit, servari quidem ea potest, sed ita, ut nihilominus temperamentum adhibeatur habito respectu vel necessitatis vel expensarum faciendarum. Solebant enim nonnullæ Ecclesiæ ex consuetudine olim bis visitari in anno, de quibus dicebatur, quod Episcopus recipiat procurationem cum fœno & herbâ, id est, semel in æstate & semel in hyeme, uti ex Hostiensi notat Antonius Dadinus Alteserra *ad c. 21. X. de censib.*

XXIII. Ex dictis facillè apparet, quis præcipuus sit finis & scopus visitationum, nempe ut sana & orthodoxa doctrina expulsis hæresibus inducatur & conservetur, honesta disciplina & boni mores atque ritus retineantur, prævi corrigantur, populus cohortationibus & repetitis admonitionibus ad religionem, pacem, concordiam & innocentiam accendatur, cæteraque omnia prout locus, tempus & occasio fert, ex visitantium prudentiâ ad fidelium salutarem usum constituentur. Cùm enim corpus tale, quale est Ecclesia, non morum tantùm corruptelis, sed plurimis etiam diversarum opinionum & errorum morbis vitiari identidem soleat, pharmacum subinde adhibere oportet, quod morbi vim expellat, & sanitatem restituat. Sicut igitur bonum Medicum decet, & ab eo exigitur, ut ipse ægrotos, qui ejus sollicitudini se commiserunt, invisat, neque per interpretes semper agat, quippe quorum relatio imperfecta sæpè & haud rarò fallax esse solet: ita etiam Episcopus operam dare debet, ut morbis Ecclesiæ suæ ipse manum medicam admoveat, & præsentem dexterâ subveniat, ut si radicis evelli non possit morbus, saltem ne serpat latius.

XXIV. Ne autem Episcopus officium hoc visitationis cum damno suo expediat, jamdiu obtinuit & longâ consuetudine receptum est, ut necessarii sumptus & alimenta ei exhibeantur. Nam cum Apostolico testimonio suffragante congruum sit, ut à quibus spiritualia recipimus, eisdem etiam temporalia nostra communicemus, rectissimè constitutum est, ut

F f f f f

cum



cum praelati diœcesin peragrando divina nobis exhibent, illis etiam à nobis temporalia exhibeantur. Joh. Paul. Lancelott. *instit. jur. canon. lib. 2. tit. 21. §. 7.* Statutum ita jamdiu fuit in Concilio Emeritensi *can. 11.* Placuit huic sancto Concilio, ut tam à presbyteris, quam Abbatibus, sive etiam diaconibus Episcopo debitus honor impendatur, ut à nullo contumeliam pati videatur, & quandocunque contigerit eum juxta canonicam sententiam visitare suam parochiam, & dignè eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent, quæ fuerint necessaria.

XXV. Exhibitio illa necessariorum sumptuum termino artis procuratio dicitur, sive quia Ecclesiæ visitationi subjctæ Episcopum procurant, h. e. curant, alunt ac tuentur, sicut pueri dicuntur procurari à nutricibus & equus à Domino, Franc. Duarenus *de SS. Eccles. minister lib. 7. c. 5.* sive quod Episcopo rem Ecclesiæ procuranti & ad eam visitationis causâ accedenti præstari soleat. Anton. Begeus & Franc. Pinsfon. *de benefic. tit. de censib. §. 15. n. 9.* Alio nomine dicitur circada, apud Fulbertum Carnotensem *epist. 110.* Jubes inelyte Præsul, nos dare tibi circadas de Ecclesiis nostris, quæ sunt in Episcopio tuo &c. Eodem vocabulo ante Fulbertum usus est Hincmarus Archiepiscopus Remensis *in epist. ad Ludovicum Regem. c. 8.* Ut Ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pipini, Caroli & Ludovici non fuerunt, ante annos viginti impositas non affligantur. Post Fulbertum etiam apud Ivonem Carnotensem Episcopum *epist. 286.* idem occurrit vocabulum in eodem significato: Dedimus & Ecclesiæ de Mundonis villâ liberam à Synodo, & circadâ & omni exactione. Vocabulum ipsum à circuitione videtur derivatum, quam instituit Episcopus peragrando diœcesin suam. Ex quo etiam Italo-rum cercare (h. e. quærere, sive investigare) videtur deductum.

XXVI. Necessarii debent esse sumptus, non superflui, ne oneri sit Ecclesiæ Episcopus visitans. Idcirco jubet Pelagius apud Gratianum *c. illud 10. q. 3.* nec ipsa quoque prandia enormia fieri, sed secundum mediocritatem uniuscujusque loci Episcopo ad consignationem venienti susceptionis præparari convivium. Sumptuum facio mentionem, ut simul comprehendam eos, qui in pecunia numeratâ consistunt, cum sine talibus vix expediri possit visitatio. Quandoquidem verò usu deinceps invaluit, ut ultra necessarios istos sumptus sæpè Episcopi pecunias nomine visitationis extorquerent, aliquando parochiani ab eâ procuratore datâ pecuniâ se redimerent, inde factum, ut immensi sensim irrepererent abusus, quos coercere admodum fuit difficile. Et hinc verò contigit porrò, ut Episcopi privati sui commodi causâ visitationes instituerent, neque finem ab Apostolis & eorum successoribus intentum amplius respicerent, imò verò Ecclesiarum curam vel negligenter prorsus, vel superficialiter & perfunctorie susciperent. Eam in rem præ-



præter leges Ecclesiasticas plurimæ extant apud bonos Doctores querelæ. Sic enim seculi mores perstringit Claudius Espencæus in epist. ad Tit. c. 1. Minores non tantùm Episcopi, sed & Archidiaconi, eorumque malè officiosi officiales & vicarii plerumque dum dioceses & parœcias obequitant, non tam facinorosos & criminum reos pœnis & correctionibus à vitis deterrent, quo sine peregrinationes hujusmodi olim jam fuerunt jure Canonico ordinate, quàm pecuniâ presenti & numerata titulo procurationis, ne dicam fictitiæ jurisdictionis emungunt & exsugunt tàm Clericos, tàm Laicos.

XXVII. Et quis verò sine indignatione legere poterit apud Carolum Sigonium, quæ refert ille lib. 5. de regn. Ital. de Johanne Ravennatenfi Archiepiscopo, qualiter se gesserit in visitationibus suæ provinciæ? Non vana enim erat Episcoporum Æmiliæ accusatio, quâ ei objiciebant, secundo quoque anno episcopia cum sua cum fermè quingentorum hominum equorumque numero perlustrare, ac tamdiu in singulis moram trahere, donec omnia, quæ ad fructus Episcopi, alimentum Clericorum & pauperum, susceptionem peregrinorum atque instauracionem basilicarum pertinerent, cum magnâ illâ multitudine consumpsisset, neque ante recedere, quàm ab Episcopo ducentos manicosos sibi, familiaribus verò suis dona non modica exegisset. Talia exempla ex historiâ imprimis Anglicanâ proferri possent haud pauca. Et quî fieri potuit aliter, cum eorum familia sæpè cum Regiâ decertaverit.

XXVIII. Nec verò ab Episcopis tantùm crudelis illa avaritia exercita fuit, sed etiam à Nunciis & Legatis Apostolicis, uti vocantur, quibus commissa erat aliqua talis visitatio. Quia enim in provincias illi veniebant solenni cum pompâ & splendido comitatu, immensi in eam rem necessarii erant sumptus, quorum proinde exactio personas Ecclesiasticas & raria sacra prorsus exhauriebat. Quos autem visitationes istiusmodi à Legatis institutæ & expeditæ habuerint effectus, docere nos potest Ivo Carnotensis epist. 109. ubi ad Paschalem II. his verbis scribit: Cum enim à latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantùm non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere: inde est, quod multi prepositorum facta gladio lingue ferire cupientes dicunt sedem Apostolicam non subditorum querere sanitatem, sed suam aut lateraliū suorum querere commoditatem. Imò verò solebant illi aliquando visitationes prorsus intermittere, & procuraciones nihilominus exigere. Jordanum Legatum Sedis Apostolicæ in Galliâ, quod Clericos compelleret ad redimendam visitationem notat Bernhardus Clarevallensis epist. 290. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos; ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuncios. Eodem nomine damnatus Wilhelmus Eliensis Episcopus & Legatus Sedis Apostolicæ in Angliâ ex epistolâ Hugonis Dunelmensis Episcopi apud Roger. Houeden in Richardo I. Omnes enim Eccle-



*fiat Angliæ crux illa redemit, id est, ad redemptionem coëgit, nec fuit aliquis immunitis, qui crucis illius stigmata non sentiret.*

XXIX. Multifariam autem quia delinqui solebat ab Episcopis circa procuraciones vel recipiendas vel exigendas, plurimæ quoque ad compescendam eorum avaritiam & luxuriam editæ sunt constitutiones Ecclesiasticæ, quæ breviter nunc recensendæ sunt. Et *primum* quidem voluerunt Pontifices Romani Innocentius IV. & Gregorius X. non recipi ab Episcopis aut dari à parochianis debere procuraciones in pecuniâ, sed in victualibus tantum *c. 1. §. pen. & c. 2. de cens. in 6.* Sive ut Johannes Paponius *lib. 1. tit. 11. in append. n. 1.* significantius loquitur, & aliquot Franciæ Arestis confirmat, deberi procuracionem *in pastu sive in ipsis speciebus, non in aderatione aut pecuniâ.* Cibaria scilicet tantum debentur, ne quis in genere alimenta, quæ etiam vestiaria comprehendunt, *l. 6. §. l. ult. ff. de aliment. leg. subintelligat.* Et illa ipsa cibaria debent esse moderata, non ad epulas sumptuosas, sed ad victum frugalem facientia, & quantum pro tempore, quo visitat Episcopus, necessarium fuerit. Paul. Piasec. *prax. Episc. part. 2. c. 3. n. 64.* Vultque Gregorius X. *d. c. 2.* nec à volente quidem Ecclesiâ Episcopum recipere debere pecuniam. Id verò mutavit ejus successor Bonifacius VIII. *c. 3. eod.* & à volentibus pecuniam recipi permisit. Quod ipsum tamen multo facilius forte in abusû degenerare potest, quam ubi sola victualia præstari debent. Nec tamen facio cum Doctoribus illis, qui statuunt, ne quidem vecturas equorum præstari debere à visitatis, nisi adfertio eorum ad proprios Episcopi equos restringatur. Illud tamen admitto, deberi procuracionem, etiamsi ex suis redditibus tantum habeat Episcopus, quantum sufficere possit ad expediendam visitationem. Institutæ enim sunt procuraciones, ut dum de alimentis comparandis minis sollicitis esse licet Visitatoribus, eo magis illi attentis sint rebus Ecclesiasticis conservandis aut emendandis. Nec damnosum debet esse officium, quod alterius emendationi impenditur.

XXX. *Secundò* in genere constitutum est, ne nimium graventur per visitationes parochiani. Nulla enim juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos durioris usus interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. Renat. Choppin. *de sacr. polit. lib. 2. tit. 7. num. 7.* Atque ita statutum legitur in Concilio Cabilonensi *c. 14.* quem refert Gratianus *c. cavendum 10. q. 3.* *Observandum modis omnibus est, ut si quando eis peragrande parœcia necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi DEI, in lucris animarum potius, quam depredandis & spoliandis hominibus & scandalizandis fratribus operam dent, & si quando ad peragendum ministerium suum à subditis aut fratribus aliquid accipiendum*



piendum est, hoc summopere observare debent, ne quem scandalizent aut gravent. Non alia fuit mens Patribus in Concilio Toletano VII. congregatis, qui can. 4. apud eundem Gratianum c. seq. ead. ita disposuerunt: Cum vero Episcopus diocesim visitat, nulli pre multitudinem onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius, quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Fatetur Severinus Binius in not. ad hoc Concil. pro numero quinquagenario legi alias quinarium, quod omnino rectius, & ad seculi istius genium accommodatius videtur, quam eam lectionem improbet Binius. Nec enim canon hic, qui anno Christi DCXLVI. scriptus est, ex recentioribus Alexandri III. constitutionibus, quae circa annum MCLXX. prodierunt, explicari potest aut debet. Nec profecto adstrictè adeo, aut nimium parè vivit Episcopus, qui quinario numero evectionis utitur. Vid. Francif. Bosquet. ad Innocentii III. epist. 57. lib. 1. Evectionis vocabulum hic equos designat, quos secum adducere licet visitant Episcopo.

XXXI. Tertiò: Posteaquam nec tum quidem per generales ejusmodi constitutiones obtineri potuit frugalitas, & Episcopi lautiores apparatus saepe numero expeterent, ipsa tandem cibaria, & quantum Episcopo dari oporteret, praescripta fuerunt. Extat tomo 3. Conciliorum Galliae à Jacobo Sirmondo editorum capitulare Tholosanum, in cujus cap. 4. modus hic definitus legitur. Iterum autem quia Dominicà voce datur licentia, qui Evangelium annunciant, ut de Evangelio vivant, licet Paulus Apostolus nihil horum fuerit usus, Presbyteri tale conjectum faciant, ut Episcopi solatium habeant, & ipsi non graventur. Quod ita nobis fieri posse videtur. Videlicet, ut quatuor presbyteri ad locum, ubi quintus degit, Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant, & unusquisque eorum decem panes & dimidium modium vini, & friscbingam de quatuor denariis, & pullos duos, & ova decem, & modium unum de annonà ad caballos in subsidium benedictionis gratià praesentent Episcopo. Et similiter quintus in cujus domo Episcopus residet faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi fortè ligna & utensilia in opus ministerii commo- det. Quapropter Episcopus provideat, ne domus aut sepes illius à ministris vastentur. Specialius adhuc modum praescribit Concilium Ticinense habitum anno DCCC LV. cap. 15. Statuimus etiam, ne Episcopi, quando pro confirmando populum parochias circumeunt, archipresbyteros suos gravent, ut hujusmodi dispensa contenti sint: Panes centum, friscbingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, annonam ad caballos modios sex, saeni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.

XXXII. Non puto, Petrum & Paulum Apostolos visitantes procuratos ita fuisse. Sed postquam simplicitas ab Ecclesià exulare coepit, & in illà Episcopi ad normam principum secularium mores suos atque vivendi



rationem instituérunt, majore etiam apparatu in procurationibus opus fuit. Et hinc adeò novæ prodierunt constitutiones, per quas nihilominus suum defraudari genium crediderunt Episcopi. *Statuimus, ita habet cap. 6. X. de censib. quod Archiepiscopi parochias visitantes pro diversitate provinciarum & facultatibus Ecclesiarum quadraginta vel quinquaginta evectionum numerum, episcopi autem viginti vel triginta, Cardinales viginti quinque nunquam excedant, Archidiaconi verò quinque vel septem, Decani constituti sub Episcopis duobus equis contenti existant.* Erant tùm temporis Episcopi longè alii ab illis, qui post Apostolorum tempora Ecclesias gubernarunt. Familia eorum amplior majorem evectionum numerum exigebat, quippe quos pudebat solitarios incedere. Et temperari insuper vix poterant, ut à voluptuariis tamdiu abstinerent. Sic enim in dicto capitulo legitur porro: *Nec cum canibus venatoriis & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non que sua sunt, sed que JESU CHRISTI, querere videantur.* Venationibus scilicet quia dediti erant Episcopi, prohiberi oportuit, ne dum visitationis causâ dicecesin suam peragrarent, canes secum adducerent, oneri & impedimento futuros. Ex quo de comitatu Episcoporum, qualis is fuerit, proclive est judicare.

XXXIII. Agnoscit tamen ipse Pontifex, non posse ita ad amussim præscribi numerum evectionis, cùm principalis respectus ad facultates Ecclesiæ visitandæ haberi debeat. *Sane, inquit, quod de prædicto numero evectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus & Ecclesiastica facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores merito non doleant se gravari. Nec sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis uti solebant hætenus, plurium sibi credant potestatem indultam.* Noverat pontifex, difficulter coërceri mores Episcoporum jam inveteratos, ideoque restringit numerum equorum, quem permiserat, ad illas Ecclesias, quæ tanto numero alendo sufficientes essent. Ad reliquas autem, quarum tantæ non essent facultates, minore cum comitatu eundem esse decernit, quanquam satius fuisset, uno simultaneo actu aut lege, totam istam Episcoporum luxuriam etiam extra visitationis actum, cohibere, eosque hæc ratione ad frugalitatem pristinam revocare.

XXXIV. Quartò, cùm observatum fuisset, munera sæpè visitoribus & eorum familiæ dari, etiam hæc prohibita esse voluit jus Canonicum. *Verba c. 1. de censib. in 6. hæc sunt: Caveat insuper (Episcopus) ne ipse vel quisquam suorum aliquod munus, quòdcunq; sit, & qualitercunq; offeratur, presumat recipere, ut non, que sua sunt, videatur querere, sed que JESU CHRISTI. Quòd si fuerit contra prescriptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam nisi duplum restituat, liberetur. Volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.* Idem sed brevius repetitur c. 2. eod. Ex quo conficiunt Doctores cum



cum Johanne Andrea, quem refert Carolus Molinæus in not. ne quidem victualia accipienda & domum asportanda esse, ut sunt capones, casei, vel flasci vini, uti loquuntur, & rectè hic facere Episcopum, si abstineat. Quò pertinet, quod inter capitula Archidiaconibus suis data sub num. 4. præcipit Hincmarus Archiepiscopus Remensis tom. 1. p. 2g. 739. Quando parochias circuitis, nolite graves esse presbyteris, petentes friskingas vel pisces, aut formaticos, aut annonam, aut alias quaslibet res, ut habeatis quando ad civitatem reversi fueritis, unde quasi fratribus refectioem faciatis, ut salvis stipendiis vestris habeatis, unde vos & vestros conducatis. Ratio est, quia hæc pertinent ad procurationes, quæ debent esse necessariae & frugales, nec repetitæ, uti mox dicemus, sed tantum pro mensâ ejusdem loci. Conf. Steph. Gratian. *disceptat. for. 57. n. 19.*

XXXV. Quintò namque cautum fuit, ne plures procurationes unâ die recipiantur, sive, ut numerus procurationum non excedat numerum dierum. Aliàs enim, ait glossa, *ad cap. 3. de censib. in 6.* posset Episcopus totam civitatem unâ die visitare, & tot procurationes recipere, quot ibi essent Ecclesiæ, quod esset absurdum. Ideoque statuitur in *d. c. 3.* non licere visitanti nisi unam procurationem recipere unâ die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura, etiam si locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad procurationem integram persolvendam &c. Quia enim permissum fuit aliquando, ut à volentibus Ecclesiis pecuniam procurationis loco accipere liceret, facilè potuissent Episcopi procurationes istas in pecuniâ multiplicare & plures unâ die recipere, quod inhibere oportuit, ex eâ inprimis ratione, quia procuratio est annexa visitationi, ut pro tempore, quo prælatus visitat, illa ei in victum tribuatur, uti loquitur Joh. Bapt. Vivianus in *rationali*. Sive quia alimenta tantum ad victum pertinentia Episcopo visitanti debentur, nec plura tamen, nisi quantum unâ die consumpserit. Vid. Anton. Nald. in *qq. præct. vocab. visitare n. 10.*

XXXVI. Sextò, etiam hoc pessimo seculi usu aliquando introductum fuit, ut Episcopus visitationem prorsus nullam institueret, & quotannis tamen procurationes exigeret. Apud Gratianum *c. relata 10. q. 1.* refertur canon ex concilio Toletano sive primo, sive quarto, sive etiam Triburiensi (hactenus enim de autoritate ejus dissentiunt Canonistæ, quos refert Severinus Binius in fragmentis additis ad Concilium Toletanum I.) qui ita habet: *Relata est coram sancta synodo querimonia plebium, quod sint quidam Episcopi nolentes ad predicandum vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire, qui tamen exigant, ut mansiones, quibus in processione uti debuerant, aliquo precio redimant, qui parare debebant. Quæ duplex infamia negligentie & avaritie sanctæ synodo magno fuit horrore. Statuerunt itaque, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis*



*tandis.* Pari modo in Concilio Valentino anno DCCCLV. celebrato can. 22. statutum fuit, ut de servitio presbyterorum erga Episcopos suos consuetudo (ut nobis videtur) valde reprehensibilis amputetur, ut scilicet quoties Episcopus statuto tempore visitationem & predicationem per eosdem sacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat.

XXXVII. Horum abusum fontes & prima quasi principia qui investigare velit, facile deprehendet, ex avaritiâ partim eos, partim ex superbiâ oriri. Familiaria enim hæc sunt Episcoporum vitia, quibus extirpandis nulla unquam sufficiens fuit lex Ecclesiastica. Et ea in tantam sæpè excreverunt proterviam, ut non ad contentionem tantum, sed ad vim, ad manus, ad cædem etiam propensissimi existerent Antifites, Apostolorum, si diis placet, successores. Supra ex Canonistarum doctrinâ adduxi licere Episcopo visitanti vim inferre, si in possessione visitandi impediatur. Ejus rei specimen præbuit Bonifacius Archiepiscopus Cantuariensis, homo rixosus, avarus, superbus, multisque aliis vitiis pessimè inquinatus. Ei provinciam suam visitanti, quid in Londinensi diocesi contigerit, qualemque se præstiterit, jucundum erit ex historiâ ejus, quam descripsit Franciscus Godwinus, hic excerptum. *Prioratum, inquit, S. Bartholomæi possidiè petenti, honoris ergo obviam itum est à Subpriorè & confratribus cappis choralibus exornatis; qui adventus causa intellecta, magna cum reverentia & verbis quantum possent mollibus ac blandis (nam iracundiam hominis satis habebant perspetam) respondent, adventum ejus sibi gratissimum, optare verò, ut aliam haberet ejus causam. Nam ad visitationem quod attinet, habere se Episcopum, virum gravissimum, cui id muneris incumbat, nec posse alterius jurisdictioni se submittere nisi annuente illo. Rogare itaque ut hanc tam justam excusationem æqui bonique consulat. Responso hujusmodi ita commotus Archiepiscopus, ut præ iracundia sui compos non videretur; non inloquentem, sed Subpriorè (qui proxime forte adstiterat) impetum faciens, infirmum Senem pugnis casum & humi prostratum, calcibus petit, cappamque magni precii, quâ fuerat indutus, in frustra disceptam pedibus conculcat. In hac concertatione procidens forte fortuna Archiepiscopus, lorica sub veste armatus conspicitur &c.* Quantum verò putabimus per istiusmodi visitatores Ecclesiam proficere potuisse? Hi sunt scilicet ex quorum ore salus hominum procurari & promoveri debet.

XXXVIII. Ut ad finem decurramus, omittendum illud non est, nullam adversus præstationem procurationem allegari posse exceptionem præscriptionis. Qua ratione cum Abbas S. Maglorii & Prior S. Petri de Castris aliique Archiepiscopo Senonensi provinciam visitanti procurationes denegarent, nec aliâ exceptione uterentur, quàm quod antea præstitæ non fuissent, rectè respondet Pontifex c. 16. X. de præscript. contra procurationem, quæ ratione visitationis debetur, præscribi non posse, non magis, quam  
contra



contra visitationem. Rationem addit Alteserra *ibid.* quia tam visitatio, quam procuratio est de jure communi, non de consuetudine, juris publici, non privati. Melius adhuc Augustinus Barbosa *ad d. c. 16. n. 4.* quia si contra talem procurationem admitteretur præscriptio, saltem juris præsumptione tolleret in effectu visitationem ipsam, quam ordinarii negligere præsumerentur. At visitationi præscribi à subditis non posse, supra docuimus. Hæ autem rationes & decreta Pontificum si firma sunt & valida, non ineptè quæritur, quid sentiendum de doctrinâ Pauli Piasecii, quando in praxi *Episcop. part. 2. cap. 3. n. 65.* ex Concilii Tridentini dogmatibus tradit, procurationem præscribi hodiè posse, neque dari debere, ubi illam non dandi vigeat consuetudo. Ut maximè enim talis aliqua consuetudo alicubi invaluit, non tamen inducere ea potest præscriptionem in futurum, sed ratione præteritæ tantùm procurationis. Uti rectè statuit Barbosa *d. l. n. 5.* ut alia nunc absurda taceam, quæ ex sententiâ Concilii Tridentini proveniunt.

XXXIX. In terris protestantium Principi visitandi hoc jus competit, non ex speciali concessione aut privilegio, sed ideò, quia princeps est, & τὸ κύριον tenet in Republicâ, in quâ etiam est Ecclesia. Quia enim non minus Ecclesiæ quàm Reip. curam habere debet princeps, & ad ejus studium pertinet Ecclesiastici statûs æquè ac imperii pacem, religionisque sinceritatem conservare, uti optimè hoc munus regium exponit & prolixè declarat Theodosius junior in Concil. Ephesino *part. 1. cap. 32.* curare utique etiam hoc debet, ut eorum, qui clero adscripti sunt, emendata sit castigataque vita, ut omnia κατὰ τὰ ἴνα καὶ εὐχημοσύνην peragantur in Ecclesiâ, ut heterodoxiæ tollantur, ut sarta tecta sint ædes sacræ, & quæ alia per visitationem intendi & obtineri solent. Et hæc potestas Principi cuique summo jure gentium abstractâ qualitate religionis seu cultûs competit, atque adeò etiam extra Ecclesiam, ita ut in quocunque cultu, quem ipse pro divino habuerit, potestatem hanc suam exercere possit. Etenim cum naturæ auspiciis unicuique sit insita superni alicujus numinis cognitio, à quo cætera omnia pendent, ipsi etiam Principes, quibus veræ religionis lumen non affulsit, non solum privatis studiis numen illud colere tenentur; sed etiam publicis legibus contumelias, quæ illi aut idololatriâ aut monstris criminum à civibus inferuntur, ulcisci. Petr. de Marca *de concord. sacerdot. & imp. lib. 2. cap. 10.*

XL. Malè igitur, uti alia jura, quæ Episcopalia abusivè dicuntur, ita etiam jus visitandi Principibus ademerunt, sibi que vindicarunt Episcopi. Et rectè proinde sibi id asseruerunt Principes protestantes, & quasi postliminiò revocarunt. Nec verum proinde est, quod putant nonnulli, Principes in hisce talibus duplicem gerere personam, Ecclesiasticam & politicam.

Ggggg

cam.



cam. Etenim si verum est, quod ante diximus, curam religionis & Ecclesiæ Principi cuique summo jure majestatis, quam tenet, competere, non alia sanè erit potestas legislativa circa Ecclesiam, alia circa Rempublicam, sed una eademque utrobique. Quod si ab objectis distinctio facienda esset, tot sanè in principe potestates fingi deberent, quot in civili vitâ existerent negotia, hoc est innumera & infinita. Concedamus enim verò etiam Episcopis ratione officii sui competere aliquod jus visitandi; istud tamen totum intra terminos potestatis spiritualis coërcetur, neque tale & tantum est, quale & quantum est istud, quod ex τῶ κρείω provenit, quodque potestatem externam ἀναγκαστικὴν conjunctam habet. Aut si tale tantumque est, non erit id ex potestate Ecclesiastica & Episcopali propria, sed ex assumptâ alienâ Principibus competente.

XLI. Nec verò necesse est, ut Principes ipsi munus istud visitationis expédiant, cum & in aliis regalibus exercendis plerumque utantur suorum ministerio. Et quia diversa in ejusmodi actibus occurrere solent negotia, quæ interdum judiciali disquisitione & decisione dirimenda veniunt, utiliter eam in rem adhibentur personæ tum Ecclesiasticæ, tum Politicæ in rebus agendis exercitæ. Atque illæ, quia plerumque certo mandato instruuntur, extra illud & ultra præscriptum agere neutiquam possunt, sed, si quid tale sese obtulerit, quod suam potestatem excedat, relatio tum faciendâ ad ipsum Principem, ne quid temerè constituatur, quod successu temporis minus commodè factum appareat. In Franciâ olim per Missos Regios unâ cum Episcopis visitationes peractas fuisse, patet ex capitulis, quæ consignavit Cardinalis Baronius tom. 10. ad ann. DCCCLIX. n. 21. seqq. Add. Petrus de Marca de concord. sacerdot. & imp. lib. 4. cap. 7. n. 6. seq.

## CAP. XXVII.

### *De variis reddituum Episcopaliū speciebus.*

#### I.

**I**Nitio nascentis Ecclesiæ augustis limitibus conclusa fuit hujus capituli tractatio, quandoquidem nulli tum temporis fuerunt redditus speciales Episcopis solis competentes, sed communis, erat tum Episcopis, tum Clericis reliquis, vita communis, & ratio vivendi prorsus eadem. Ex oblationibus fidelium sua tum habebant alimenta Clerici universi in quavis Ecclesiâ, & si quid residuum esset, id totum in pauperes distribuebatur. Probrosū erat, sibi retinere aliquid ut proprium, & rem cum aliis communem sibi soli vindicare. Imò verò ut eo magis se exonerarent